


ORATION  
SALLUSTI






LAII.

TRACTE

CONCILIA RUM

PARISIENSIS



*Ex libris Fourier*

ORATIONES  
EX SALLUSTII , LIVII ,  
CURTII, ET TACITI  
HISTORIIS COLLECTÆ ;  
AD USUM SCHOLARUM  
UNIVERSITATIS PARISIENSIS



ГИОГДО  
САМЫХ  
ПРИЧИНОВ  
СОВРЕМЕННОГО  
СОСТОЯНИЯ  
СОВЕРШЕННОГО  
СОВРЕМЕННОГО



*resp Pf XVIII - 499 / 1*

# ORATIONES Ex E X Libri SALLUSTIO COLLECTÆ.

Ad usum Alumnorum Rethorices.

Joannis — Fourié



TOLOSÆ;

Apud PETRUM ROBERT, Collegii Tolosæ  
Societatis JESU Typographum & Bibliop.  
sub Signo Nominis J E S U.

ОЯНОГИ  
САЛУСТИО  
КОЛЛЕКТА



ТОРОСЫ

Древнегреческое письмо в переводе на русский язык  
Составлены Исаа Тобоцким в 1820 г.



# ORATIONES

EX

## SALLUSTIO COLLECTÆ.

---

### ORATIO CATILINÆ,

*Qua sui de Conjuratione consilit  
participes cohortatur*

**SALLUST. CONJUR. CATIL.**

1. Catilina jamdiu de trucidando Senatu,  
& invadenda Republica cogitabat, multosque  
iraxerat nobiles homines in nefarii consilii  
societatem: eos hic alloquitur.



I virtus fidesque vestra satis specta-  
ta mihi foret, ne quicquam oppor-  
tuna res cecidisset. Spes magna do-  
minationis in manibus frustra fuis-  
set: neque per (a) ignaviam, aut  
vana ingenia, incerta pro certis captarem. Sed  
quia multis & magnis tempestatibus vos cognovi  
fortes, fidosque mihi, eo animus ausus est maxu-  
mum atque pulcherrimum facinus incipere: simul.

(a) i. e. Per ignavos, aut vani ingenii homines.

A

## ORATIONES

quia vobis eadem , quæ mihi , bona malaque esse intellexi . Nam IDEM velle atque idem nolle , eadem firmam amicitiam est . Sed ego quæ mente agitavi , omnes jam antea diversi audistis . Ceterum mihi in dies magis animus accenditur , quum considero quæ conditio vitæ futura sit , nisi nos metiplos vindicamus in libertatem . Nam postquam Resp. in paucorum potentium jus atque ditionem concessit , semper illis Reges , Tetrarchæ vestigales esse : populi , nationes stipendia pende-  
re : ceteri omnes , strenui , boni , nobiles atque ignobiles , vulgus suimus , sine gratia , sine auctoritate : his obnoxii , quibus , si Resp. valeret , formidini essemus . Itaque omnis gratia , potencia , honos , divitiæ apud illos sunt , aut ubi illi volunt : nobis reliquerunt pericula , repulsas , iudicia , egestatem . Quæ quoisque tandem patiemini , fortissimi viri ? Nonne emori per virtutem præstat , quam vitam miseram atque dishonestam , ubi alienæ superbiæ ludibrio fueris , per dedecus amittere ? Verum enim vero , pro Deum atque hominum fidem ! victoria in manu nobis est : vigerætas : animus valet : contrà illis , annis atque divitiis omnia consenserunt . Tantummodo incepso opus est : cætera res expediet . Etenim quis mortalium , cui virile ingenium est , tolerare potest , illis divitiis superare , quas profundant in extruendo mari , & montibus coquandis , nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse ? illos binas , aut amplius , domos continuare ; nobis larem familiarem nusquam ullum esse ? Quum tabulas , signa , toremata emunt , nova diruunt , alia ædificant , postremò omnibus modis pecuniam trahunt , vexant : tamen summâ libidine divitiis suas vincere nequeunt . At nobis est domi inopia , foris æs alienum , mala res , spes multò asperior .

Denique quid reliqui habemus præter miseram animam? Quin igitur expurgiscimini? En illa, illa quam saepe optastis, libertas: præterea divitiae, decus, gloria, in oculis sita sunt. Fortuna ea omnia victoribus præmia posuit. Res, tempus, pericula, egestas, belli spolia magnifica magis quam oratio mea vos hoitentur. Vel imperatore, vel milite me utemini: neque animus, neque corpus à vobis aberit. Hæc ipsa, ut spero, vobis cum una Consul agam: nisi forte me animus falat, & vos servire magis quam imperare parati estis.

## ORATIO

Legatorum C. Mallii ad Q. Marcium  
Regem.

*2. Dum Catilina adhuc Romæ ageret, interea Mallius quidam ejus consiliis implicatus, arma ceperat in Etruria cum magna multitudine. Adversus eum Q. Marcius Rex senatus jussu profectus: ad quem C. Mallius ex suo numero legatos mittit cum mandatis hujuscemodi.*

**D**E OS hominesque restamur, Imperator, nos arma neque contra patriam cepisse, neque quod periculum aliis faceremus, sed uti corpora nostra ab injuria iuta forent: qui miseri, egentes, violentiā atque crudelitate fœnerorum, plerique patriā, sed omnes famā atque fortunis expertes sumus. Neque cuiquam nostrūm

## 6 ORATIONES

licuit, more majorum, lege uti: neque amissio patrimonio, corpus liberum habere: tanta saevitia fœnectorum atque Prætoris fuit. Sæpe majores nostri miseri plebis Romanæ, decretis suis inopiae ejus opitulati sunt. Ac novissimè, memoriâ nostrâ propter magnitudinem æris alieni, volentibus omnibus bonis, (a) argentum ære solutum est. Sæpe ipsa plebes aut dominandi studio permota, aut superbiâ magistratum armata, à patribus secessit. At nos non imperium neque divitias petimus, (quarum rerum causâ bella atque certamina omnia inter mortales sunt) sed libertatem, quam nemo bonus nisi cum anima simul amittit. Te atque Senatum obiestamur, consulatis miseris civibus; legis præsidium, quod iniquitas Prætoris eripuit, restituatis; neve nobis eam necessitudinem imponatis, ut quæramus quonam modo maxumè ulti sanguinem nostrum percamus.

(a) i. e. Sestertius  
(qui argenteus erat) solutus est asse: (æreo)  
ita ut qui centum debebat sestertios, non nisi centum asses solveret.  
Hic locus intelligendus videtur de ea lege quam tulit Valerius Flaccus,  
Consul suffectus in locum Marii; qua, ut habetur

apud Velleium l. 2. c. 3.  
ditoribus quadrantem solvi jussit. Constat enim tum ex Vitruvio l. 3. c. 1. tum ex Plino l. 33. c. 3. pretium sestertii, qui primò duobus tantum assibus cum semisse estimabatur, excreuisse postea ad quatuor asses.

## ORATIO

C. Cæsar is suam sententiam senatui exponens  
tis de conjurationis Catilinæ sociis  
qui in custodiis tenebantur.

*3* Catilinâ ad Mallium profecto, P. Lentulus & alii principes conjurationis qui Romæ remanserant, intenti erant in occasionem incendendæ urbis. At re totâ patefactâ, comprehensos Cicero in custodiam tradidit: mox ad Senatum refert, quid de iis fieri placeat. Tum D. Junius Silanus, Consul designatus, de convictis confessisque supplicium sumendum censuit; atque ei plerique assentiebantur. Sed Cæsar, ubi ad eum ventum est, rogatus à Consule sententiam, hujuscemodi verba locutus est.

**O**MNES homines, P. C. qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ita atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum provideret, ubi illa officiunt: neque quisquam omnium lubidini simul & usui paruit. Ubi intenderis ingenium, valet: si lubido possidet, ea dominatur: animus nihil valet. Magna mihi copia est memorandi, P. C. qui Reges, aut qui populi irâ aut misericordiâ impulsî, male consulerint. Sed ea malo dicere, quæ majores nostri contra lubidinem animi sui rectè atque ordine fecere. Bello Macedonico, quod cum Rege Perse gessimus, Rhodiogrum civitas magna atque

magnifica , quæ populi Rom. opibus creverat ; infida atque adversa nobis fuit : sed postquam bello confecto de Rodiis consultum est , Majores nostri , ne quis divitiarum magis quam injuriæ bellum incepsum diceret , impunitos eos dimisere . Item bellis Punicis omnibus , quum sœpe Carthaginenses & in pace & per inducias multa nefaria facinora fecissent , nunquam ipsi per occasionem talia fecere : magis , quod se dignum foret , quam quod in illos jure fieri posset , quærebant . Hoc item providendum est , P. C. ne plus apud vos valeat P. Lentuli & cæterorum scelus , quam vestra dignitas : neu magis iræ vestræ , quam famæ consulatis . Nam si digna poena profactis eorum reperitur , novum consilium approbo : sin magnitudo sceleris omnium ingenia exuperat , iis utendum censeo , quæ legibus comparata sunt . Plerique eorum qui ante me sententias dixerunt , compositè ac magnificè casum Reipubl. miserati sunt : quæ belli sœvitia esset , quæ victis acciderent , enumeravere : rapi virgines , pueros : divelli liberos à complexu parentum : matres familiarum pati quæ victoribus collibuisserint : fama atque demos expoliari : cædem , incendia fieri : postremò armis , cadaveribus , cruento atque luctu omnia completi . Sed , per Deos immortales , quò illa oratio pertinuit ? an uti vos infestos conjurationi faceret ? Scilicet quem res tanta atque tam atrox non permovit , eum oratio accendet . Non ita est : neque cuiquam mortalium injuriæ suæ parvæ videntur , multi etiam eas gravius æquo habuere . Sed alia aliis licentia est . P. C. Qui demissi in obscurō vitam agunt , si quid iracundiâ deliqueret , pauci sciunt ; fama atque fortuna eorum pares sunt : qui magno imperio prædicti in excelso etatem agunt .

agunt, eorum facta cuncti mortales novere. Ita in maxima fortuna minima licentia est : neque studere, neque odisse, sed minimè irasci dicitur. Quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas appellatur. Evidem ego sic existimo, P. C. omnes cruciatus minoris, quam facinora illorum esse. Sed plerique mortales postrema meminere; & in hominibus impiis, sceleris eorum obliti, de poena differunt, si ea paulò sævior fuerit. D. Silanum virum formam atque strenuum certò scio, quæ dixerit, studio Reipubl. dixisse : neque illum in tanta re gratiam aut inimicitias exercere : eos mores, eamque modestiam viri cognovi. Verum sententia ejus mihi non crudelis : (quid enim in tales homines crudele fieri potest?) sed aliena à Republ. nostra videtur. Nam profectò aut metus aut injuria te subegit, Silane, Consulem designatum, genus pœnæ novum decernere. De timore supervacaneum est differere : quum præsenti diligentia clarissimi viri Consulis tanta sint præsidia in armis. De pœna possum evidem dicere id quod res habet: in luctu atque miseriis, mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse: eam cuncta mortalium mala dissolvere : ultrà neque curæ neque gaudio locum esse. Sed, per Deos immortales, quamobrem in sententiam non addisti, uti prius verberibus in eos animadvertereatur? An, quia lex Porcia vetat? At aliae item leges condonatis civibus non animam eripi, sed exilium permitti jubent. An, quia gravius est verberari, quam necari? Quid autem acerbum, aut nimis grave est in homines tanti facinoris convictos? Sin, quia levius est, qui convenit in minore negotio legem observare, quum eam in majore neglexeris? At enim quis te-

## 10. ORATIONES

prehendat quod in parricidas Reipubl. decreatum erit? Tempus, dies, fortuna, cuius lubido gentibus moderatur. Illis meritò accider, quicquid evenerit. Ceterum vos P. C. quid in alios statuatis, considerate. Omnia mala exempla ex bonis initiiis orta sunt. Sed ubi imperium ad ignaros aut minus bonos pervenit, novum illud exemplum ab dignis & idoneis ad indignos & non idoneos transfertur. Lacedæmonii devictis Atheniensibus triginta viros imposuere, qui Rempubl. tractarent. Hi primò cœpere pessimum quemque & omnibus invisum, indemnatum necare. Eo populus lætari, & meritò dicere fieri. Post, ubi licentia paulatim crevit, juxta bonos & malos lubidinosè interficere, ceteros metu terrere. Ita civitas servitute oppressa, stultæ lætitiae gravis pœnas dedit. Nostrà memoriâ victor Sulla, quum Damasippum, & alios hujusmodi, qui malo Reipubl. creverant, jugulari iusserit, quis non factum ejus laudabat? Homines sceleratos & factiosos, qui seditionibus Remp. exagitaverant, meritò necatos aiebant. Sed causæ magnæ initium cladi fuit. Namque uti quisque domum aut villam, postremò vas aut vestimentum alicujus concupiverat, dabat operam ut sis in proscriptorum numero esset. Ita illi, quibus Damasippi mors lætitiae fuerat, paulò post ipsi trahebantur; neque prius finis jugulandi fuit, quam Sulla omnes suos divitiis explevit. Atque ego hoc non in M. Tullio, neqne his temporibus vereor: sed in magnâ civitate multa & varia ingenia sunt. Potest alio tempore, alio Consule, cui item exercitus in manu sit, falsum aliquid pro vero credi: ubi hoc exemplo per Senatus decretum Consul gladium eduxerit, quis illi finem statuet? aut quis moderabitur? Majos

res nostri, Patres C. neque consilii, neque audaciæ unquam egere: neque superbia obstat quo minus aliena instituta, si modò probarent, imitarentur. Arma atque tela militaria à Samnitibus, insignia magistratum à Tuscis pleraque sumperunt: postremò, quod ubique apud socios aut hostes idoneum videbatur, cum summo studio domi exequabantur. Imitari, quām invidere bonis, malebant. Sed eodem illo tempore Græciæ morem imitati, verberibus animadvertebant in cives: de condemnatis summum supplicium sumebant. Postquam Respublica adolevit, & multitudine civium factiones valuebant, circumveniri innocentes, alia hujuscemodi fieri cœpere. Tunc lex Porcia aliæque leges paratae sunt, quibus legibus exilium damnatis permisum est. Hanc ego causam, P. C. quo minus novum consilium capiamus, in primis magnam puto. Profectò virtus atque sapientia major in illis fuit, qui ex parvis opibus tantum imperium fecerunt, quām in nobis, qui ea bene parta vix retinemus. Placet igitur eos dimitti, & augeri exercitum Catilinæ? Minimè. Sed ita censeo, publicandas eorum pecunias: ipsos in vinculis per municipia habendos, quæ maxime opibus valent: neu quis de his postea ad Senatum referat, neve cum populo agat: qui aliter fecerit, Senatum existimare, cum contra Rempubl. & salutem omnium facturum,

## ORATIO

M. Porci<sup>ii</sup> Catonis proximè præcedent<sup>i</sup>  
orationi C. Cæsar is respondens.

4. Postquam Cæsar dicendi finem fecit,  
cæteri verbo, alius alii varie assentiebantur.  
At M. Porcius Cato rogatus sententiam,  
hujuscemodi orationem habuit.

LONGE mihi alia mens est, P. C. quum  
res atque pericula nostra considero, & quum  
sententias nonnullorum mecum ipse reproto. Illi  
mihi differuisse videntur de pœna eorum, qui  
patriæ, parentibus, aris atque focis suis bel-  
lum paravere: res autem monet cavyre ab illis  
magis, quam, quid in illos statuamus, consul-  
tare. Nam cætera maleficia tum persequare, ubi  
facta sunt: hoc nisi provideris ne aecidat, ubi  
evenit, frustra judicia implores. Capti urbe,  
nihil fit reliqui victis. Sed, per Deos immorta-  
lis, vos ego appello, qui semper domos, villas,  
signa, tabulas vestras pluris quam Rempublicam  
fecistis: si ista, cujuscumque modi sint, quæ  
amplexamini, retinere, si voluptatibus vestris  
otium præbere vultis: expurgescimini aliquan-  
do, & capessite Rempublicam. Non nunc agitur  
de vectigalibus, non de sociorum injuriis: liber-  
tas & auma nostra in dubio est. Sæpenumero,  
P. C. multa verba in hoc ordine feci: sæpe de  
uxuria atque avaritia nostrorum civium questus  
sum, multosque mortales eâ causâ adversos habeo.  
Qui mihi atque animo meo nullius unquam delici-  
ti gratiam fecissem, haud facile alterius lubidini  
malefacti

malefacta condonabam. Sed ea tametsi vos parvi  
pendebatis, tamen Respubl. firma erat: opulen-  
tia negligentiam tolerabat. Nunc verò non id  
agitur, bonisne an malis moribus vivamus, neq;  
que quantum aut quām magnificum imperium po-  
puli Romani sit: sed hæc, cujuscunque modi  
videtur, nostra an nobiscum unà hostium futu-  
ra sint. Hic mihi quisquam mansuetudinem &  
misericordiam nominat? Jamptidem equidem nos  
vera rerum vocabula amissimus. Quia bona aliena  
largiri, liberalitas; mala ratiō rerum audacia,  
fortitudo vocatur: eò Respublica in extremo sita  
est. Sint sanè ( quoniam ita se mores habent )  
liberales ex sociorum fortunis; sint misericordes  
in futibus æratii: ne illi sanguinem nostrum  
largiantur: & dum paucis sceleratis parcunt, bo-  
nos omnes perditum eant. Bene & compositè C.  
Cæsar paulò ante in hoc ordine de vita & morte  
dixerit: credo, falsa existimans ea quæ de infe-  
ris memorantur: diverso itinere malos à bonis  
loca terra, inculta, foeda atque formidolosa ha-  
bere. Itaque censuit pecunias eorum publican-  
das, ipsos per municipia in custodiis habendos:  
videlicet, ne, si Romæ sint, aut à popularibus  
conjunctionis, aut à multitudine conducta per  
vim eripiantur. Quasi verò mali atque scelesti  
tantummodo in urbe, & non per Italiam totam  
sint; aut non ibi plus possit audacia, ubi ad defen-  
dendum opes mirores sunt. Quare vanum equi-  
dem hoc consilium est si periculum ex illis metuīt:  
sin in tanto omnium metu solus non timet, eò  
magis refert me mihi atque vobis timere. Quare  
quum de P. Lentulo cæterisque statuetis, pro-  
cerro habitote vos simul de exercitu Catilinæ &  
de omnibus conjuratis decernere. Quantò vos at-  
tentius ea agitis, tantò illis animus insirmior

erit : si paululum modò vos languere viderint ;  
jam omnes feroce*s* aderunt. Nolite existimare  
majores nostros armis Remp. ex parva magnam  
fecisse. Si ita res esset , multo pulcherrimam eam  
nos haberemus. Quippe sociorum atque civium ,  
præterea armorum atque equorum major copia  
nobis , quæ illis est. Sed alia fuere , quæ illos  
magnos fecere , quæ nobis nulla sunt : domi  
industria , foris justum imperium , animus in con-  
sulendo liber , neque delicto , neque lubidini ob-  
noxius. Pro his nos habemus luxuriam atque  
avaritiam ; publicè egestatem , privatim opulen-  
tiam : laudamus divitias , sequimur inertiam : in-  
ter bonos & malos discrimen nullum : omnia vir-  
tutis præmia ambitio possidet. Neque mirum ;  
ubi vos separatim sibi quisque consilium capitis ,  
ubi domi voluptatibus , hic pecuniae aut gratiae  
servitis , eò sic ut impetus fiat in vacuam Rem-  
publicam. Sed ego hæc omitto. Conjuravere no-  
biliissimi patriam incendere : Gallorum gentem  
infestissimam Romano nomini ad bellum arces-  
sunt : dux hostium cum exercitu supra caput est :  
vos cunctamini etiam nunc ? & dubitatis  
quid intra mœnia deprehensis hostibus faciatis ?  
Misericordia , censeo : deliqueru*m* homines ado-  
lescentuli per ambitionem : atque etiam armatos  
dimittatis. Ne ista vobis mansuetudo & miseri-  
cordia , si illi arm*a* ceperint , in miseriariam verter.  
Scilicet res ipsa aspera est : sed vos non timeris  
eam. Imò verò maximè ; sed inertiam & mollitiā  
animi aliis alium expectantes cunctamini : vide-  
licet Diis immortalibus confisi , qui hanc Remp.  
in maximis sœpe periculis servavere. Non votis ,  
neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum pa-  
ratur : vigilando , agendo , bene consulendo ,  
prosperè omnia cedunt : ubi socordia*s* tete atque

ignaviæ tradideris, ne quicquam Deos implores: irati infestique sunt. Apud maiores nostros Aulus Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat, necari jussit, atque ille egregius adolescens immoderata fortitudinis morte poenas dedit: vos de crudelissimis parricidis quid statuatis, cunctamini? Videlicet vita cætera eorum huic sceleri obstat. Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitia, si famæ suæ, si Diis, aut hominibus unquam ullis pepercit. Ignoscite Cethegi adolescentiæ, nisi iterum jam patriæ bellum fecit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Cepario loquar? quibus si quicquam pensi unquam fuisset, non ea consilia de Republ. habuissent. Postremò, P. C. si mehercle peccato locus esset, facile pateret vos ipsâ re corrigi, quoniam verba contemnitis. Sed undique circumventi sumus: Catilina cum exercitu faucibus urget; alii intra mœnia atque in sinu urbis sunt hostes: neque parari, neque consuli quicquam occultè potest: quo magis properandum est. Quare ita ego censeo: quum nefario consilio sceleratorum civium Resp. in maximu pericula venerit, iisque indicio T. Voltutii & legatorum Allobrogum convicti, confessique sint, cædem, incendia, aliaque scæda atque crudeliaz facinora in cives, patriamque paravisse; de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, mors majorum, supplicium sumendum.

## ORATIO

Catilinæ, quâ suos milites adhortatur.

S. Catilina, post sumtum de Lentulo & sociis supplicium, cùm in urbe res adversas, sibi hinc Metelli, illinc Antonii Consulis copiis propè circumsesto, nullam fuge spem reliquam videret, statuit cum Antonio quām primum configere. Itaque concione advocata bujusce modi orationem habuit.

**C**O M P E R T U M ego habeo, milites, verba viris virtutem non addere; neque ex ignavo strenuum, neque sortem ex timido exercitum oratione Imperatoris fieri. Quanta cujusque animo audacia naturâ, aut moribus inest, tanta in bello patere solet. Quem neque gloria, neque pericula excitant, nequicquam hortere: timor animi auribus officit. Sed ego vos, quâ pauca monerem, advocavi: simul uti causam consilii mei aperirem. Scitis equidem, milites, socordia atque ignavia Lentuli, quantum ipsi nobisque cladem attulerit; quoque modo, dum ex urbe præsidia opperior, in Galliam proficiisci nequiverim. Nunc verò quo in loco res nostriæ sint, juxta mecum omnes intelligitis. Exercitus hostium duo, unus ab urbe, alter à Gallia obstant. Diutiùs in his locis esse, si maximè animus ferat, frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet. Quocunque ire placet, ferro iter aperiendum est. Quapropter vos moneo uti forti atque

parato animo sitis : & quum prælium inibitis ,  
memineritis vos divitias , decus , gloriam , præ-  
terea libertatem atque patriam in dextris vestris  
portare . Si vincimus , omnia nobis tuta erunt ;  
commeatus abunde , municipia atque coloniæ pa-  
rebunt : sin metu cesserimus , eadem illa adversa-  
fient : neque locus , neque amicus quisquam teget  
quem arma non texerint . Præterea , milites , non  
eadem nobis & illis necessitudo impendet : nos  
pro patria , pro libertate , pro vita certamus :  
illis supervacaneum est pro potentia paucorum  
pugnare . Quò audacius aggredimini , memores  
pristinæ virtutis . Licuit vobis cum summa turpi-  
tudine in exilio etatem agere : potuistis nonnulli  
Romæ , amissis bonis , alienas opes expectare . Quia  
illa foeda atque intoleranda viris videbantur , hæc  
sequi decrevistis . Si hæc relinquere vultis , auda-  
cia opus est . Nemo , nisi vñctor , pace bellum  
mutavit . Nam in fuga salutem sperare , quum ar-  
ma , quis corpus tegitur , ab hostibus averteris ,  
ea verò dementia est . Semper in prælio iis est  
maximum periculum , qui maximè timent . Au-  
dacia pro muro habetur . Quum vos considero ,  
milites , & quum facta vestra æstimo , magna me-  
spes victoriæ teneri : animus , ætas , virtus vestra  
me hortantur : præterea necessitudo , quæ etiam  
timidos fortés facit . Nam multitudo hostium ne  
circumvenire queat , prohibent angustiæ loci .  
Quod si virtuti vestriæ fortuna inviderit , cavete  
ne inulti animam amittatis : neu capti potius ,  
sicuti pecora , trucidemini , quam vitorum more  
pugnantes , cruentam atque luctuosam victoriam  
hostibus relinquatis .

## ORATIO

*Micipsæ Regis ad Jugurtham*  
**SALLUST. IN BELLO JUGURTH.**

6. Rex Numidiae Micipsa fratris filium Jugurtham primò eodem cultu, quo liberos suos, domi habuserat. Qui postquam adolevit, cum insigni virtute & fama apud Numidas foret, Micipsa reputans exaltam etatem suam, rudem adhuc filiorum, sibi ab eo timere cœpit: atque hac de causa eum ad bellum Numantium misit, quod ibi facile occasurum speraret. Quæ ubi contra evenere, & Jugurtha cum ingenti gloria domum rediit, Micipsa flexis animum suum, & eum beneficiis vincere aggressus est: statimque adoptavit, & testamento pariter cum filiis heredem instituit. Sed paucos post annos morbo atque etate confectus, quum sibi finem vitae adesse intelligeret, coram amicis & cognatis, itemque Adherbale & Hiempse filiis, hujuscemodi verba cum Jugurtha fertur habuisse.

**P**A R V U M ego te, Jugurtha, amissi patre, sine spe, sine opibus, in meum regnum accepi, existimans non minus me tibi, quam si genuisse, ob beneficia carum fore. Neque ea res falsum me habuit. Nam ut alia magna & egregia tua facta omittam, novissime rediens Numantiā, meque regnumque meum gloriā ho-

moravisti, tuaque virtute nobis Romanos ex amicis, amicissimos fecisti: in Hispania nomen familiæ renovatum est: postremò (quod difficultum inter mortales est) gloriâ invidiam vici. Nunc quoniam mihi natura finem vitæ facit, per hanc dextram, per regni fidem, moneo, obtestorque, uti hos, qui tibi genere propinqui, beneficio meo fratres sunt, caros habeas: neu malis alienos adjungeré, quam sanguine conjunctos retinere. Non exercitus, neque thesauri præsidia regni sunt, verum amici: quos neque armis cogere, neque auro parare queas: officio & fide pariuntur. Quis autem amicior, quam frater fratris? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris. Evidem ego regnum vobis tradossum, si boni eritis: si mali, imbecillum. Nam concordia parvæ res crescunt, discordia maxima dilabuntur. Cæterum ante hos, te, Jugurtha, quia rectate & sapientia prior es, ne aliter quid eveniat, providere decet. Nam in omni certamine, qui opulentior est, etiamsi accipit injuriam, tamen, quia plus potest, facere videtur. Vos autem Adherbal & Hiempsal, colite, obseruate talem hunc vitum: imitamini virtutem, & enim ne ego meliores liberos sumisse videar, quam genuisse.

## ORATIO

Adherbalis ad Senatum Romanum.

7. *Jugurtha, Hiempsele occiso, etiam Adherbal regno expulsum Romanam profugere coegerat. Has nunc injurias Adherbal apud Senatum deflet.*

PATRES Conscripti, Micipsa pater meus moriens mihi præcepit, uti regni Numidiæ tantummodo procurationem existimarem meam;

cæterum jus & imperium penes vos esse : simul  
 eniteret domi militiæque quam maximo usui esse  
 populo Romano : vos mihi cognatorum , vos in  
 locum affinum ducerem : si ea fecisset , in vestra  
 amicitia exercitum , divitias , munimenta regni  
 me habiturum. Quæ præcepta patris mei quum  
 agitarem , Jugurtha , homo omnium quos terra sus-  
 tinet sceleratissimus , contempto imperio vestro ,  
 Massinissæ me nepotem , utique ab stirpe socium  
 atque amicum populi Romani , regno fortunisque  
 omnibus expulit. Atque ego , P. C quoniam eò  
 misericarum venturus eram , vellem potius ob-  
 area , quam ob Majorum meorum beneficia ,  
 posse me à vobis auxilia petere , ac maximè debe-  
 ri mihi beneficia à Pop. Rom. quibus non ege-  
 rem : secundum ea , si desideranda erant , uti  
 debit is uteretur. Sed quoniam parum tuta per se  
 ipsa probitas est , neque mihi in manu fuit ,  
 Jugurtha qualis foret , ad vos confugi , P. C.  
 quibus ( quod mihi miserrimum est ) cogor prius  
 oneri , quam usui esse. Cæteri reges aut bello  
 victi in amicitiam à vobis recepti sunt , aut in suis  
 dubiis rebus societatem vestram appetiverunt :  
 familia nostra cum Pop. Rom. bello Carthaginensi  
 amicitiam instituit , quo tempore magis fides  
 ejus , quam fortuna petenda erat. Quorum proge-  
 niem vos , P. C. nolite pati me nepotem Massi-  
 nissæ frustra à vobis auxilium petere. Si ad impe-  
 trandum nihil causæ haberem præter miserandam  
 fortunam , quod paulò ante rex genere , fama  
 atque copiis potens , nunc deformatus ærumnis ,  
 inops , alienas opes exspecto : tamen erat majes-  
 tatis populi Romani prohibere injuriam , neque  
 pati cuiusquam regnum per scelus crescere. Ve-  
 rum ego iis finibus ejectus sum , quos majoribus  
 meis populus Rom. dedit ; unde pater & avus

meus

meus unà vobiscum expulere Syphacem & Carthaginenses. Vestra beneficia mihi erepta sunt, P. C. vos in mea injuria despici estis. Lheu me miserum! huccine, Micipla pater, beneficia tua evasere, uti quem tu patrem cum liberis tuis regnique partipem fecisti, is potissimum stirpis tuæ extinctor sit? Nunquamne ergo familia nostra quiera erit? Semperne in sanguine, ferro, fuga, versabimur? Dum Carthaginenses incolumes fuere, jure omnia sæva patiebamur: hostis ab latere, vos amici procul, spes omnis in armis erat. Postquam illa pestis ex Africa ejecta est, lati pacem agitabamus: quippe quieis nullus hostis erat, nisi forte quem vos jussissetis. Ecce autem ex improviso Jugurtha intolerandæ audaciâ, scelere atque superbiam sese effertens, fratre meo atque eodem propinquo suo interfecto, primum regnum ejus sceleris sui prædam fecit: post ubi me iisdem dolis nequit capere, nihil minus quam vim aut bellum expectantem, in imperio vestro (sicuti videtis) extorrem patriâ, domo, inopem & coopeitum miseriis effecit, ut ubivis tutius quam in meo regno essem. Ego sic existimabam. P. C. uti prædicantem audiveram patrem meum, qui vestram amicitiam colerent diligenter, eos multum laborem suscipere, cæterum ex omnibus maximè tutos esse. Quod in familia nostra fuit, præstitit, ut in omnibus bellis adesset vobis: nos uti per otium tui simus, in manu vestra est, P. C. Pater nos duos fratres reliquit: tertium Jugurtham beneficiis suis ratus est nobis conjunctum fore. Alter eorum necatus: alter ipse egomanus impias vix effugi. Quid agam? aut quod potissimum infelix accedam? Generis præsidia omnia extincta sunt. Pater, uti necesse erat, naturæ concessit: fratri, quem minime decuit,

propinquus per scelus vitam eripuit : affinis ,  
 amicos , propinquos cæteros meos , alium alia  
 clades oppressit : capti ab Jugurtha , pars in  
 crucem acti , pars bestiis objecti sunt : pauci qui-  
 bus relicta est anima , clausi in tenebris cum  
 moerore & luctu , morte graviorem vitam exigunt.  
 Si omnia quæ aut amisi , aut ex necessariis ( a )  
 adversa facta sunt , incolumia manerent : tamen ,  
 si quid ex improviso mali accidisset , vos im-  
 plorarem , P. C. quibus pro magnitudine im-  
 perii , jus & injurias omnis curæ esse decet. Nunc  
 vero exul patriâ , domo , solus , atque omnium  
 honestarum rerum egens , quos accedam ? aut  
 quos appellem ? Nationes ne ? an Reges ? qui  
 omnes familiæ nostræ ob vestram amicitiam in-  
 festi sunt. An quòquam mihi adire licet , ubi non  
 majorum meorum hostilia monumenta plurima  
 sint ? An quisquam nostri misereri potest , qui  
 aliquando vobis hostis fuit ? Postremò Masinissa  
 nos ita instituit , P. C. ne quem coleremus nisi  
 populum Romanum ; ne sociates , ne fœderæ  
 nova acciperemus : abunde magna præsidia no-  
 bis in vestra amicitia fore : si huic imperio for-  
 tunæ mutaretur , unâ occidendum nobis esse.  
 Virtute ac Diis volentibus , magni estis & opu-  
 lenti : omnia secunda & obedientia sunt : quò  
 facilius socrorum injurias curare licet. Tantum  
 illud vereor , ne quos privata amicitia Jugurthæ  
 parum cognita transversos agat : quos ego audio  
 maximâ ope niti , ambite , fatigare vos singu-  
 los , ne quid de absente , incognitâ causâ , sta-  
 tuatis : fingere me verba , & fugam simulare ;  
 cui licuerit in regno manere. Quod utinam il-  
 lum , cujus impio facinore in has miseras

( a.) i. e. Aut ii om- | ventibus adversi faci-  
 mes qui ex amicis fa- | sunt.

projectus sum , eadem hæc simulantem videam : & aliquando aut apud vos , aut apud Deos immortales rerum humanarum cura oriatur : ut ille , qui nunc sceleribus suis ferox atque præclarus est , omnibus malis excruciatus , impietatis in parentem nostrum , fratri mei necis , mearumque miseriарum gravis poenas reddat . Jamjam , frater animo meo carissime , quanquam tibi immaturo , & unde minimè decuit , vita erepta est , tamen lætandum magis quam dolendum puto casum tuum . Non enim regnum , sed fugam , exilium , egestatem , & has omnes quæ me pre-  
munt ærumnas cum anima simul amisisti . At ego infelix in tanta mala præcipitatus , puluis ex patrio regno , rerum humanarum spectaculum præbeo : incertus quid agam , tuas-ne injurias persequar , ipse auxilii egens ; an regno consulam , cuius vitæ necisque potestas ex opibus alienis pender . Utinam emori , fortunis meis honestus exitus esset : ne (a) vivere contemptus viderer , si defessus malis injuriæ concessissem . Nunc quoniam neque vivere lubet , neque mori licet sine dedecore , P. C. per vos , per liberos atque parentes vestros , per majestatem populi Romani , subvenite misero mihi : ite obviam injuriæ : nolite pati regnum Numidiæ , quod vestrum est , per scelus & sanguinem familiæ nostræ tabescere .

(a) Legendum vide- re , nec vivere invitum ; tur *Nem* . Nempe hoc quin contemptus , i. e. vult Adherbal , se neque contemptu dignus videtur .

## EPISTOLA

Adherbalis ad Senatum Romanum.

8. *Jugurtha, cum pecuniam inter nobiles Romae largè dividendo, obtinuisse ut & cedes Hiempsalis impunita abiret, & regnum Micipse inter se & Adherbalem dividetur, majora aggreditur, & totam Numidiam invadere parat. Adherbalem igitur adortus, eum prælio fundit fugatque, ac Circaram fugere coactum obſidet. Hinc Adherbal Senatus fidem implorat.*

**N**ON mea culpæ ſepè ad vos oratum mitto, P. C. sed vis Jugurthæ subigit: quem tanta Iubido me extinguendi invasit, uti neque vos, neque Deos immortales in animo habeat; ſanguinem meum, quām omnia malit. Itaque quintum jam mensem ſocius & amicus populi Romani armis obſeffus teneor: neque mihi Micipse, patris mei, beneficia, neque vefra decreta auxiliantur: ferro, an fame acrius urgeat, incertus sum. Plura de Jugurtha ſcribere dehortatur me fortuna mea: etiam antea expertus sum, parum fidei misericordia eſſe. Niſi tamen intelligo illum, ſupra quām ego ſum, petere; neque ſimul amicitiam vefram, & regnum meum ſperare. Utrum gravius exiſtimet, nemini occultum eſt. Nam initio occidit Hiempsalem, frarent meum: deinceps patrio regno me expulit. Quæ ſanè fuerint noſtræ injuriæ, nihil ad vos. Verum nunc regnum vefrum armis tenet: me, quem vos imperatorem Numidis poſuistis, clauſum tenet atque obſidet: legatorum verba quanti fecerit, pericula

pericula mea declarant. Quid est reliquum, nisi vis vestra, quo moveri possit. Nam ego quidem vellem, & hæc quæ scribo, & illa quæ antea in Senatu questus sum, vana forent potius, quam miseria mea fidem verbis faceret. Sed quoniam eò natus sum, ut Jugurthæ scelerum ostentui essem: non jam mortem, neque æxumnas, tantummodo inimici imperium, & cruciatus corporis deprecor. Regno Numidiæ, quod vestrum est, uti lubet, consulite: me ex manibus impiis eripite, per majestatem imperii, per amicitiæ fidem; si ulla apud vos memoria remanet avi mei Masinissæ.

## ORATIO

## C. Memmii ad Quirites.

9. Cirthâ capta, & Adherbale necato, Romani Calpurnium Consulem cum exercitu adversus Jugurtham misere. Hic ad solitas artes confugiens, pecuniâ & Consulem & legatos Consulis corrupit, ac fictitiâ deditione pacem ab iis impetravit. Quæ ubi Romæ innotuere, incertis Patribus quid super hoc negotio decernerent, C. Memmius Tribunus plebis populum portatur ad vindicandum in Jugurtham simul, & eos qui ipsi Remp. pl. prodiderant.

MULTA me dehortantur à vobis, Quiciter ni studium Reipubl. omnia superet; opes factionis, vestra patientia, jus nullum; ac maximè quod innocentiae plus periculi, quam hono-

ris est. Nam illa quidem piget dicere , his annis  
quindecim quam ludibrio fueritis superbiae paucorum ? quam sedè , quamque inulti perierint vestri defensores ; uti vobis animus ab ignavia atque  
socordia corruptus sit : qui ne nunc quidem , obnoxii inimicis , exurgitis , atque etiam nunc timetis eos , quibus vos decerit terrori esse. Sed  
quanquam hæc talia sunt ; tamen obviam ire fac-  
tionis potentiaz animus subigit. Certè ego liber-  
tatem , quæ mihi à parente meo tradita est , ex-  
periar : verum id frustra , an ob rem faciam , in  
vestra manu situm est , Quirites. Neque ego vos  
horror , quod sèpè majores vestri fecere , uti con-  
tra injurias armati eatis. Nihil vi , nihil secessio-  
ne opus est ; necesse est , suomet ipsi more præci-  
pites eant. Occiso Tib. Graccho , quem regum  
parare aiebant , in plebem Romanam quæstio-  
nes graves habitæ sunt. Post C. Gracchi & M.  
Fulvii cædem , item ordinis vestri multi morta-  
les in carcere necati sunt. Utriusque cladis non  
lex , verum libido eorum finem fecit. Sed sanè  
fuerit regni paratio , plebi sua restituere. Quidquid  
sine sanguine civium ulcisci nequitur , jure fac-  
tum fit. Superioribus annis taciti indignabamini  
æterium expilari , Reges , & populos liberos ,  
paucis nobilibus vectigal pendere ; penes eosdem  
& summam gloriam , & maximas divitias esse :  
tamen hæc talia facinora impune suscepisse , pa-  
rum habuere : itaque postremò leges , majestas  
vestra , divina & humana omnia hostibus tradita  
sunt. Neque eos , qui ea fecere , pudet , aut pœ-  
nitet : sed incedunt per ora vestra magnificè , sa-  
cerdotia , & consulatus , pars triumphos suos  
ostentantes ; perinde quasi ea honori , non præ-  
dæ habeant. Servi ære parati injusta imperia do-  
minorum non perferunt : vos , Quirites imperio

hati, æquo animo setyitutem toleratis? At qui sunt hi, qui Rempubl. occupavere? Homines sceleratissimi, cruentis manibus, immani avaritiâ, nocentissimi, iidemque superbissimi; quibus fides, decus, pietas, postremò honesta atque in-honesta omnia quæstui sunt. Pars eorum occidisse Tribunos plebis, alii quæstiones injustas, plenique cædem in vos fecisse pro munimento habent. Ita quâm quisque pessimè fecit, tam maximè tu-rus est; metum à scelere suo ad ignaviam vestram transtulere: quos omnes eadem cupere, eadem odiisse, eadem metuere in unum coegerit. Sed hæc inter bonos amicitia, inter malos factio est. Quod si vos tam libertatis curam haberetis, quâm illi ad dominationem accensi sunt; prosecuto neque Rempubl. sicuti nunc, vastaretur, & beneficia vestra penes optimos, non audacissi-mos, forent. Majores vestri parandi juris, & majestatis constituendæ gratiâ, bis per secessio-nem armati Aventinum occupavere: vos pro li-bertate, quâm ab illis accepistis, nonne summâ ope nitemini; atque eo vehementius, quo ma-jus dedecus est parta smittere, quâm omnino non paravisse? Dicet aliquis: Quid igitur cen-ses? Vindicandum in eos qui hosti prodidere Rempublicam: non manu, neque vi; quod ma-gis vos fecisse, quâm illis accidisse indignum est: verum quæstionibus, & indicio ipsius Jugurthæ: qui si deditarius est, profecto jussis vestris obe-diens erit: sin ea contemnit, scilicet æstimabitur qualis illa pax, aut deditio sit, ex qua ad Jugurtham scelerum impunitas, ad paucos poten-tes maximæ divitiae, in Rempublicam dama-na at-que dedecora pervenerint. Nisi forte nondum etiam vos dominationis eorum satietas tener, & illa, quâm hæc, tempora magis placent, quum

regna , provinciæ , leges , jura , judicia , bella , atque paces , postremò divina & humana omnia penes paucos erant : vos autem , hoc est , populus Romanus , invicti ab hostibus , Imperatores omnium gentium , satis habebatis animam retinere . Nam servitutem quidem quis vestrū audiebat recusare ? Atque ego tametsi vitum flagitiosissimum existimo impune injuriam accepisse ; tamen vos hominibus sceleratissimis ignoscere , quoniam cives sunt , æquo animo paterer , nisi misericordia in perniciem casura esset . Nam & illis , quantum importunitatis habent , parum est impune male fecisse , nisi deinde faciendi licentia eripitur ; & vobis æterna sollicitudo remanebit , quum intelligetis aut serviendum esse , aut per manus libertatem retinendam . Nam fiduci quidem , aut concordiæ quæ spes est ? Dominari illi volunt , vos liberi esse : facere illi injurias , vos prohibere : postremè sociis vestris veluti hostibus , hostibus pro sociis utuntur . Potest-ne in tam diversis membris pax , aut amicitia esse ? Quare moneo , hortorque vos , ne tantum scelus impunitum dimitatis . Non peculatus ærarii factus est , neque per vim sociis æreptæ pecuniae : quæ quanquam gravia sunt , tamen consuetudine jam pro nihilo habentur . Hosti acerrimo prodita Senatus auctoritas , proditum imperium vestrum : domi militiæque Respubl. venalis fuit . Quæ nisi qualita erunt , nisi vindicatum in noxios , quid erit reliquum , nisi ut illis , qui ea fecere , obedientes vivamus ? NAM impune quælibet facere , id est Regem esse . Neque ego vos , Quirites , hortor , uti jam malitis cives vestros perpetram , quam recte fecisse ; sed ne ignoscendo malis , bonos perditum eatis . Ad hoc in Respubl. multò præstat beneficii , quam maleficii , immemorem esse . Bonus tantummodo

fugnior fit, ubi negligas : at malus improbior. Ad  
hoc , si injuriæ non sint, haud sèpè auxiliū egeas.

## ORATIO

Marii ad Quirites.

10. C. Marius humili genere ortus, invi-  
tata nobilitate, at cupientissimā plebe, Consul  
factus erat : eique provinciam Numidiam,  
& bellum adversus Jugurtham, ademta  
Metello, plebs decreverat. Cum igitur mi-  
lites in supplementum scribere vellet, hor-  
tandi causa, simul nobilitatem exagitandi,  
concionem populi aduocavit: deinde hoc modo  
differuit.

**S**CIO ego, Quirites, plerosque non iisdem  
artibus imperium à vobis petere, &, post-  
quam adepti sunt, gerere : primò, industrios,  
suplices, modicos esse ; deinde per ignaviam  
& superbiam ætatem agere. Sed mihi contra vi-  
detur. Nam quo universa Respubl. pluris est,  
quam Consulatus aut Prætura, eo majore curâ il-  
lam administrari, quam hæc peti debere. Neque  
me fallit, quantum cum maximo beneficio vestro  
negotii sustineam. Bellum parare simul, & æra-  
rio parcere ; cogere ad militiam eos, quos no-  
lis offendere, domi forisque omnia curare, & ea  
agere inter invidos, occursantes, factiosos, opi-  
nione, Quirites, asperius est. Ad hoc, alii si de-  
liquere, vetera nobilitas, majorum fortia facta,  
cognatorum & affinum opes, multæ clientelæ,  
omnia hæc Præsidio adsunt: mihi spes omnes in-

memet sitæ : quas necesse est & virtute & innocentia tutari : nam alia infirma sunt. Et illud intelligo , Quirites , omnium ora in me conversa esse : æquos , bonosque favere ; quippe benefacta mea Reipubl. procedunt : nobilitatem locum invadendi quætere. Quo mihi acrius adnitendum est , ut neque vos capiamini , & illi frustra sint. Ita ad hoc ætatis à pueritia fui , ut omnes labores & pericula consueta habeam. Quæ ante vestra beneficia gratiæ faciebam , ea uti acceptâ mercede deseram , non est consilium , Quirites. Illis difficile est in potestatibus temperare , qui per ambitionem sese probos simulavere : mihi , qui omnem ætatem in optimis artibus egi , bene facere jam ex consuetudine in naturam vertit. Bellum me gerere cum Jugurtha jussistis : quam rem nobilitas ægerrimè tulit. Quæso , reputate cum animis vestris , num id mutari melius sit , si quem ex illo globo nobilitatis ad hoc , aut aliud tale negotium mittatis , hominem veteris prosapiæ , de multarum imaginum , & nullius stipendii : scilicet ut in tanta re ignarus omnium trepidet , festinet , sumat aliquem ex populo monitorem officii sui. Ita plerumque evenit , uti , quem vos imperare jussistis , is sibi Imperatorem alium quærat. At ego scio , Quirites , qui postquam Consules facti sunt , acta majorum & Græcorum militaria præcepta legere cœperint ; homines præposteri ; Nam gerere , quæm fieri , tempore posterius , re atque usu prius est. Comparete nunc , Quirites , cum illorum superbia me hominem novum. Quæ illi audire & legere solent , eorum partem vidi , alia egomet gessi. Quæ illi litteris , ea ego militando didici. Nunc vos existimate , facta , an dicta pluris sint. Contemnunt novitatem meam , ego illorum ignaviam : mihi fer-

Una, illis probra objectantur. Quanquam ego naturam unam, & communem omnium existimo, sed fortissimum quemque generosissimum esse. Ac si jam ex patribus Albini aut Bestiæ quæ r posset, mene, an illos ex se gigni maluerint: quid responsuros creditis, nisi, sese liberos quam, optimos voluisse; Quod si jure despiciunt me, faciant idem majoribus suis; quibus, uti mihi, ex virtute nobilitas cœpit. Invident honori meo: ergo invideant labori, innocentiae, periculis etiam meis: quoniam per hæc illum cepi. Verum homines corrupti superbiā, ita ætatem agunt, quasi honores vestros contemnunt: ita hos pertunt, quasi honestè vixerint. Næ illi falsi sunt, qui diversissimas res pariter expectant, ignaviæ voluptatem, & præmia virtutis. Atque etiam quum apud vos, aut in Senatu verba faciunt, pleraque oratione, majores suos extollunt; eorum fortia facta memorando clariores sese putant; quod contra est. Nam, quanto vita illorum præclarior, tanto horum socordia flagitiosior. Et profectò ita se res habet: MAJORUM gloria posteris lumen est, neque bona, neque mala eorum in occulto patitur. Hujuscce rei ego inopiam patior, Quirites. Verum id quod multò præclarius est, meam et facta mihi dicere licet. Nunc videte, quam iniqui sint. Quod ex aliena virtute sibi arrogant, id mihi ex mea non concedunt: scilicet quia imagines non habeo, & quia mihi nova nobilitas est: quam certè peperisse melius est, quam acceptam corrupisse. Evidem ego non ignoro, si jam mihi respondere velint, abundè illis facundam & compositam orationem fore. Sed in maximo vestro beneficio, quum omnibus locis me vosque maledictis lacerent, non placuit retinere: ne quis modestiam in conscientiam duce-

ret. Nam me quidem , ex animi sententia , lèdere nulla oratio potest : quippè vera , necesse est benè prædicet , falsam vita moresque mei superant. Sed quoniam vestra consilia accusantur , qui mihi summum honorem , & maximum negotium imposuistis : etiam atque etiam reputate , num id pœnitendum sit. Non possum , fidei causâ , imagines neque triumphos , aut Consulatus majorum meorum ostentare : at , si res postulet , hastas , vexillum , phaleras , alia dona militaria , præterea cicatrices adverso corpore. Hæ sunt meæ imagines , hæc nobilitas , non hereditate relicta , ut illa illis , sed quæ ego plurimis meis laboribus & periculis quæsivi. Non sunt composita verba mea. Parum id facio. Ipsa se virtus satis ostendit : illis artificio opus est , uti turpia facta oratione tegant. Neque litteras Græcas didici. Parum placebat eas discere , quippe quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt. At illa multo optima Reipubl. doctus sum ; hostes ferire ; præsidia agitare ; nihil metuere , nisi turpem famam ; hyemem & æstatem juxta pati ; humi requiescere ; eodem tempore inopiam & laborem tolerare. His ego præceptis milites horribor : neque illos arctè colam , me opulenter : (a) neque gloriam meam , laborem illorum faciam. Hoc est utile , hoc civile imperium. Namque , quum tu per molitiem agas , exercitum supplicio cogere , est hoc dominum , non Imperatorem esse. Hæc atque alia majores vestri faciendo , seque remque publicam celebravere. Queis nobilitas freta , ipsa dissimilis moribus , nos illorum æmulos contemnit ; & omnes honores , non ex merito , sed quasi debitos , à vobis repetit.

(4) Sic interpungendum | gloriam mihi vindicabo  
est , hec sensu : neque | laborem illis relinquam.

Ceterum homines superbissimi procul errant. Majores eorum omnia quæ licebat, illis reliquere; divitias, imagines, memoriam sui præclarum: virtutem non reliquere, neque poterant. Ea sola neque datur dono, neque accipitur. Solidum me & incultis moribus aiunt: quia parum scitè convivium exorno; neque histriōnēm ullum, neque pluris pretii coquum, quam villicum, habeo. Quæ mihi lubet confiteri, Quirites. Nam & ex parente meo, & ex aliis sanctis viris ita accepi, MUNDITIAS mulieribus, viris labore convenire: omnibusque bonis oportere plus gloriæ, quam divitarum esse: arma, non supellectilem decori esse. Quin ergo, quod juvat, quod carum aestimant, id semper faciant: ament, potent: ubi adolescentiam habuere, ibi senectutem agant, in conviviis, dediti ventri & turpissimæ parti corporis: sudorem, pulverem, & alia talia relinquant nobis, quibus illa epulūc jucundiora sunt. Verum non ita est. Nam ubi se flagitiis dedecoravere turpissimi viri, bonorum præmia ereptum eunt. Ita injustissimè luxuria & ignavia, pessimæ artes, illis qui coluerent eas, nihil officiunt, Reipubl. innoxiae cladi sunt. Nunc, quoniam illis, quantum mores mei, non illorum flagitia poscebant, respondi: pauca de Republ. loquar. Primum omnium, de Numidia bonum habetote animum, Quirites. Nam quæ ad hoc tempus Jugurtham tuta sunt, omnia removistis; avaritiam, imperitiam, superbiam. Dein exercitus ibi est locorum sciens, sed me hercule magis strenuus, quam felix. Nam magna pars ejus avaritiam aut temeritate ducum atrita est; Quamobrem vos, quibus militaris ætas est, ad amittimini mecum, & capessite Rempubl. Neque quemquam ex calamitate aliorum, aut Imperia-

torum superbia metus ceperit. Egomet in agmine atque in prælio consultor idem & socius periculi vobiscum adero : meque vosque in omnibus rebus juxta geram. Et profecto, Diis juvantibus, omnia matura sunt, victoria, præda, laus : quæ si dubia, aut procul essent, tamen omnes bonos Reipubl. subvenire decet. Etenim nemo ignaviam immortalis factus : neque quisquam parens liberis, ut æterni forent, optavit ; magis, uti boni honestique vitam exigerent. Plura dicere, Quirites, si timidis virtutem verba adderent. Nam strenuis abundè dictum puto.

## O R A T I O.

Syllæ ad Bocchum Regem.

I I. *Bocchus, Mauritaniae, Rex societatem cum Jugurtha inierat. At duabus præliis adversis fractus, à Mario per legatos petit, duos quam fidissimos ad se mittat. Ille L. Syllam & A. Manlium ire jubet. Postquam congressi sunt, Sylla, quo ingenium ejus aut adversum flecteret, aut cupidum pacis vehementius accenderet, pauca verba hujuscemodi locutus est.*

**R**ex Bocche, magna lætitia nobis est, quum te talem virum Dii monuere, ut aliquando pacem, quam bellum malles, neu te optimum cum pessimo omnium Jugurtha miscendo comitaculares ; simul nobis denieres acerbam necessitudinem, pariter te errantem, & illum icelatissimum persequi. Ad hoc, populo Romano jam à principio inopi melius visum amicos, quam

servos querere : tutiusque rati volentibus , quam  
coactis imperitare . Tibi vero nulla opportunior  
amicitia nostrâ : primùm , quod procul absimus ;  
in quo offensæ minimum , gratia par , ac si prope  
adessimus : dein , quod parentes abunde habe-  
mus , AMICORUM neque nobis , neque cuiquam  
omnium satis fuit . Atque hoc utinam à principio  
tibi placuissest : profectò ex populo Rom. ad hoc  
tempus multò plura bona accepisses , quam mala  
percessus es . Sed quoniam humanarum rerum  
fortuna pleraque regit , cui scilicet placuit ( a )  
& vim & gratiam nostram experiri : nunc , quan-  
do per illam licet , festina ; atque , uti cœpisti ,  
perge . Multa atque opportuna habes , quo facilius  
errata officiis superes . Postremò hoc in pectus  
tuum demitte , nuncquam populum Rom. beneficiis  
victum esse . Nam bello quid valeat , tute scis .

## O R A T I O

Bocchi ad Syllam.

12. Postquam Sylla ad Marium reversus  
est , ipso annitente , Boccho inducia , legatis  
ipsius potestas eundi Romanam à Consule concessa  
est . Qui cum delicti gratiam , at non fœdus  
amicitiamque impetravissent , Bocchus iterum  
Syllam accivit . Ei igitur hac oratione se memo-  
rem ejus beneficiorum testatur : purgat se de bel-  
lo Romano : studium & operam pollicetur .

**N**UNQUAM ego ratus sum fore , uti Rex  
maximus in hac terra , & omnium , quos  
novi , opulentissimus , privato homini gratiam

( a ) Sup- te Durum : voculam inscrere opus  
ac texui forsitan hanc forset .

deherem. Et hercule, Sylla, ante te cognitum, multis orantibus, aliis ultro egomet opem tuli, nullius indigi. Id imminutum, quod cæteri dolere solent, ego laxor. Fuerit mihi pretium equis-  
se aliquando tuæ amicitiæ, quæ apud animum meum nihil carius habeo. Id adeo experiri licet:  
arma, viros, pecuniam, postremq; quidquid ani-  
mo lubet, sume, utere: &, quoad vives, nun-  
quam tibi redditam gratiam putaveris; semper  
apud me integra erit: denique nihil, me sciente,  
frustra voles. Nam, ut ego existimo, Regem  
armis, quam munificentia vinci minus flagiti-  
sum. Ceterum de Repub. vestra, cuius curator  
huc missus es, paucis accipe. Bellum ego populo  
Rom. neque feci, neque factum unquam volui:  
fines meos adversum armatos armis tutus sum. Id  
omitto: quando vobis ita placet, gerite, uti vul-  
tis, cum Jugurtha bellum: ego flumen Mulu-  
cham, quod inter me & Micipsam fuit, non  
egrediar, neque id intrare Jugurtham sinam. Præ-  
terea si quid meque vobisque dignum petiveris,  
haud repulsus abibis.

## ORATIO

*Lepidi Consulis ad Populum Romanum;*

EX LIBRIS HIST. SALLUST.

13. *M. Lepidus, Consul, invehitur in Syl-  
lam. qui vi & armis oppressam Rempub.  
Dictatoris nomine pro lubidine regebat: po-  
pulumque hortatur ut se in libertatem vindicet.*

*CLEMENTIA & probitas vestra, Quiri-  
tes, quibus per cæteras gentes maximi &  
clari estis, plurimum timoris mihi faciunt, ad-  
versus*

Versus tyrannidem L. Syllæ : ne aut ipsi , quæ  
 nefanda æstimatis , ea parum credendo de aliis ,  
 circumveniamini : præsertim quum illi spes omnis  
 in scelere atque perfidia sit ; neque se aliter tu-  
 tum putet , quām si pejor atque intestabilior me-  
 tu vestro fuerit , quō captivis libertatis curam  
 miseria eximat : aut , si provideritis , in tutan-  
 dis periculis magis quām in ulciscendo teneami-  
 ni. Satellites quidem ejus , homines maximi no-  
 minis , non minūs optimis majorum exemplis ,  
 nequeo satis mirari , dominationis in vos servi-  
 tium suum mercede dant : & utrumque per in-  
 juriam maluant , quām optimo jure liberi agere :  
 præclara Brutorum atque Æmilorum & Lutatio-  
 rum proles : geniti ad ea , quæ majores virtute  
 peperere , subvertenda. Nam quid à Pyrrho ,  
 Annibale , Philippoque & Antiocho defensum  
 est aliud , quām libertas , & suæ cuique sedes ;  
 neu cui , nisi legibus , pareremus ? Quæ cuncta  
 fævus iste Romulus , quasi ab externis rapta , re-  
 net ; non tot exercituum clade , neque Consu-  
 lis & aliorum principum , quos fortuna belli con-  
 sumperat , satiatus : sed tum crudelior , quum ple-  
 rosque secundæ res in miserationem ex ira ver-  
 tunt. Quin solus omnium post memoriam homi-  
 num , supplicia in post futuros compoluit , queis  
 priùs injuria quām vita certa esset , pravissimè  
 que per sceleris immanitatem adhuc tutus furit ,  
 dum vos , metu gravioris servitii , à repetendæ  
 libertate terremini. Agendum atque obviam eun-  
 dum est , Quirites , ne spolia vestra penes illum  
 sint. Non prolatandum , neque votis parandæ  
 auxilia : nisi fortè speratis , per tedium jam aut  
 pudorem tyrannidis , esse eum per scelus occupata  
 periculosis dimissurum. At ille eò processit , uti  
 nihil gloriosum , nisi tutum , & omnia retinendæ

dominationis honesta existimet. Itaque illa quies; & otium cum libertate , quæ multi probi potius quam laborem cum honoribus capessebant , nulla sunt. Hac tempestate serviendum aut imperitandum : habendus metus est aut faciendus , Quietites. Nam quid ultra ? quæve humana superant , aut divina impolluta sunt ? Populus Romanus paulo ante gentium moderator , exutus imperio , gloriâ , jure , cogitandi inops , despectusque , ne servilia quidem alimenta reliqua habet. Sociorum & Latii magna vis , civitate pro multis & egregiis factis à vobis datâ , per unum prohibentur : & plebis innoxiae patrias sedes occupavere pauci satellites , mercedem scelerum. Leges , judicia , ærarium , provinciæ , Reges , penes unum. Denique necesse civium & viræ licentiam , simul humanas hostias vidistis , & sepulchra infecta sanguine civili. Estne viris reliqui aliud , quam solvere injuriam , aut mori per virtutem ? quoniam quidem vix omnibus finem natura vel ferro septis statuit : neque quisquam extremam necessitatem , nihil ausus , nisi muliebri ingenio expectat. Verum ego seditiosus , uti Sylla ait , qui præmia turbatum quero : & bellum cupiens , quia jura pacis repeto. Scilicet , quia non aliter salvi , satisque tui in imperio eritis , nisi Vestius Picens , scriba Cornelius , aliena bene parata prodegerint : nisi approbaveritis omnes proscriptiones innoxiorum ob divitias , cruciatus virorum illustrium , vastam urbem fugâ & cædibus , bona civium miserorum , quasi Cimbricam prædam venum aut dono datam. At objectat mihi possessiones ex bonis proscriptorum : quod quidem scelerum illius vel maximum est ; non me , neque quemquam omnium satis tutum fuisse , si recte faceremus ; Atque illa , quæ cum formidine mercatus sum ,

pretio soluto , jure , dominis tamen restituo : neque pati consilium est , ullam ex civibus prædam esse. Satis illa fuerint , quæ , rabie contracta , toleravimus : manus conserentes inter se Romanos exercitus , & arma ab externis in nosmet versa. Scelerum & contumeliarum omnium finis sit : quorum adeo Syllam non pœnitet , ut & facta in gloria numeret , & , si liceat , avidius fecerit. Neque jam , quid existimetis de illo , sed quantum vos audeatis , vereor : ne , alius alium principem expectantes , ante capiamini , non opibus ejus , quæ futilis & corruptæ sunt , sed vestrâ cordiâ , ( a ) quam captum iri liceat , & quam audeat , tam videri felicem. Nam præter satellites commaculatos , quis eadem vult ? aut quis non omnia mutata , præter victoriæ ? scilicet milites : quorum sanguine Tarrulæ , Scyroque pesti mis servorum divitiæ partæ sunt : an quibus prælatus in magistratibus capiendis Fusidius , ancilla turpis , honorum omnium dehonestamentum ? Itaque maximam mihi fiduciam parit victor exercitus , cui per tot vulnera & labores nihil , præter tyrannum , quæsumus est . Nisi forte Tribuniciam potestatem eversum profecti sunt per arma , conditam à majoribus suis ; utique jura & judicia sibimet extorquerent : egregiâ scilicet mercede , quum relegati in paludes & sylvas , contumeliæ atque invidiam suam , præmia penes paucos intelligerent. Quare igitur tanto agmine atque animis incedit ? Quia secundæ res mirè sunt vitiis obtentui : quibus labefactatis , quam formidatus antea est , tam contemnetur : nisi forte specie-

( a Locus corruptus : quem satius fortasse fuerit intactum prætermis- tere , quam inanibus conjecturis vexare.

concordiæ & pacis , ( a ) quæ sceleri & parricidio suo nomina indidit : neque aliter populo Romano esse belli finem ait , nisi maneat expulsa agris plebes , præda civilis acerbissima , jus iudiciumque omnium rerum penes se , quod populi Rom. fuit. Quæ si vobis pax & concordia intelliguntur , maxima turbamenta Reip. atque exitia probate ; annuite legibus impositis ; accipite otium cum servitio ; & tradite exemplum posteris ad pop. Rom. suimet sanguinis mercede circumveniendum. Mihi , quanquam per hoc summum imperium satis quæsitus erat nomini majorum , dignitatî , atque etiam præsidio , tam non fuit consilium , privatas opes facere ; potiorque visa est periculosa libertas quieto servitio. Quæ si probatis , adeste , Quirites , & , bene juvantibus diis , M. Æmilium Consulem , ducem & auctorem sequimini ad recipiendam libertatem.

( a ) Supple ex præcedentibus , tanto agmine atque animis incedit : ut totius hujus loci hic sensus sit : Quod Sylla tanto agmine atque animis in-

cedit , id secundæ res efficiunt. Non enim species concordiæ & pacis id præstat ; licet ille ea nomina sceleri & parricidio suo indiderit.

## O R A T I O

L. Philippi adversus Lepidum in Senatus.

14. *M. Lepido in Consulatu acta Syllæ rescindere cupienti summâ vi Catulus collega restiterat. Cum res ad bellum spectaret, Senatus utrumque Consulem jure jurando adegerat, se hujus controversiæ causâ arma nostri capturos: simulque Lepido Galliam provinciam cum exercitu decreverat. At ille nihilominus in incepto persistans, semel & iterum ad urbem cum exercitu accessit. Quum secundo jam urbi adsideret, ac circum alto interim anno, alterum Consulatum peteret, L. Philippus Senatum in eum his verbis concitabat.*

**M**A X I M E vellem, P. C. Remp. quietam esse, aut in periculis à promptissimo quoque defendi: denique prava incepta consultoribus noxae esse. Sed contrâ seditionibus omnia turbata sunt, & ab iis, quos prohibere magis decebat. Postremò, quæ pessimi & stultissimi decrevere, ea bonis & sapientibus facienda sunt. Nam bellum, atque arma, quamquam vobis invisa, tamen, quia Lepido placent, sumenda sunt. Nisi forte cui pacem præstare, & bellum pati consilium est. Pro Dii boni, qui (*a*) hanc ur-

(a) Refer hanc vocem qui ad Deos. Crediderim desiderari aliquod verbum, quod omissam cu- riam, sed incuriam in Patres refundat: quale esset à nobis, à Senato. Hac igitur mihi videtur

bem, omissâ curâ, adhuc regitis; M. Æmilius omnium flagitiosorum postremus, qui peior an ignavior sit, deliberari non potest, exercitum optimendæ libertatis habet, & se è contemptu metuendum effecit: vos missantes, & (a) retractantes verbis, & variis carminibus, pacem optatis magis quâm defenditis: neque intelligitis mollitiâ decretorum vobis dignitatem, illi metum detrahi. Atque id jure: quoniam ex rapinis consulatum, ob seditionem, provinciam cum exercitu adeptus est. Quid ille ob benefacta cepisset, ejus sceleribus tanta præmia tribuistis? At scilicet ii, qui ad postremum usque, legatos, pacem, concordiam, & alia hujuscemodi decreverunt, gratiam ab eo peperere. Imò despici & indigni Rep. habitii, prædæ loco aestimantur: quippe metu pacem repetentes, quo habitam amiserant. Evidem à principio cùm Etruriam conjurare, proscriptos accersiri, largitionibus Rempubl. lacerari videbam; maturandum putabam, & Catuli consilia cum paucis fecerunt sum. Ceterū illi, qui gentis Æmiliæ benefacta extollebant, & (b) ignoscendo populi Romani magnitudinem auxisse, nusquam etiam cum Lepidum progressum videbant, cùm privata arma opprimendæ libertatis cepisset, sibi quisque opes aut patrocinia quærendo, consilium publicum corrufuisse hujus loci sententia. Pro Dii boni, qui hanc urbem, ejus eu-ram emittimus, adhuc tamen vestro numine tutamini.

(a) In hac voce ulcus latere videtur. Sensus tamen apparet: verbis arguuntantes, ut infra.

(b) Et populi Romani magnitudinem ignoscendo creuisse jactitabant, ac ne tum quidem, cum Lepidus privato consilio parata arma ad opprimendam libertatem cepisset, cum quidquam sceleris admisisse videbant, aut certe videre se simulabant.

Perunt. At tum erat Lepidus latro cum calonibus, & paucis sicariis, quorum nemo non diurnâ mercède vitam mutaverit; nunc est Proconsul cum imperio, non empto, sed dato à vobis; cum legatis adhuc jure parentibus: & ad eum concurrere homines omnium ordinum corruptissimi, flagrantes inopia & cupidinibus, scelerum conscientia exagitati: quibus quies in seditionibus, in pace turbæ sunt: hi tumultum ex tumultu, bellum ex bello ferunt, Saturnini olim, post Sulpitii, dein Marii, Damæsippique, nunc Lepidi satellites. Præterea Etruria atque omnes reliquæ belli arrestæ: Hispaniæ armis solicitatæ: Mithridates in latere vestigalium nostrorum, quibus adhuc sustentamus, diem bello circumspicit: quin, pater idoneum ducem, nihil abest ad subvertendum imperium. Quod ego vos oro, atque obsecro P. C. ut animadvertis; neu patiamini licentiam scelerum, quasi rabiem, ad integros contactu procedere. Nam, ubi malos præmia sequuntur, haud facile quisquam gratuitò bonus est. An expectatis dum exercitu rursus admoto, ferro, atque flammâ urbem invadat? quod (a) multo proprius est ab eo, quo agitat, statu, quam ex pace & concordia ad arma civilia: quæ ille adversum divina & humana omnia cepit, non pro sua, aut quorum simulat injuria, sed legum ac libertatis subvertendæ. Angitur enim ac laceratur animi cupidine, & noxarum metu, expers consilii, inquies, hæc arque illa tentans? metuit otium, odit bellum; luxu atque licentiâ carentem videt, atque interim abutitur vestrâ socor-

(a) Multo proclivius & concordia, quâ paulo jam est Lepido, eo quo ante fruebamur, disturbata, bellum civile concitare: quod tamen fecit.

diā. Neque mihi satis consilii metum , an ignaviam , an dementiam eam appellem : qui vide mini , intenta mala , quasi fulmen optare se quisque ne attingat , sed prohibere ne conari quidem. Et quæso considerate quām conversa rerum natura sit. Antea malum publicum occulte , auxilia palam instruebantur ; & eo boni malos facile anteibant : nunc pax , & concordia disturbantur palam , defenduntur occulte. Quibus illa placent , in armis sunt ; vos , in metu : Quid exspectatis ? nisi forte pudet , aut piget recidè facere. An Lepidi mandata animos movent ? qui placere ait sua cuique reddi , & aliena tenet : belli jura rescindi , cum ipse armis cogat : ( a ) civitatem confirmari , qui ademptam negat : concordiæ gratiâ plebi tribuniciam potestatem restitui , ex qua omnes discordiæ accensæ. Pessime omnium , atque impudentissime , tibine egestas civium , & luctus curæ sunt , cui nihil est domi , nisi armis partum , aut per injuriam ? Alterum consulatum petis , quasi primum reddideris : bello concordiam quæris , quo parta disturbatur : nostri proditor , istis ( b ) invidus , hostis omnium bonorum. Ut te neque hominum , neque Deorum pudet , quos perfidiâ aut perjurio violasti ! Qui , quando talis es , maneas in sententia , & retineas arma , te horror : neu prolatandis seditionibus , inquies ipse , nos in sollicitudine retineas. Neque te provinciæ , neque leges , neque Dii penates civem patiuntur.

( a ) Jus civitatis Romana confirmari iis , qui bus Sylla illud ademptum voluerat (sociorum nempe & Latii magna multitudini) : qui negat eos hoc jure privatos , cum nihil à Sylla agum , ratum

esse debere contendat. Supra in oratione Lepidi: sociorum & Latii magna vis civitate... à vobis data per unum prohibentur.

( b ) Quidam codices habent , infidus. Bene. Istis , sociis latrociniij tui.

Perge ,

Perge, quā cœpisti; ut quām maturimē merita  
 invenias. Vos autem, P. C. quo usque cuncte ande  
 Rempubl. intutam patiemini, & verbis arma ten-  
 rabitis? Delectus adversum vos habui; pecuniae  
 publice, & privatim extortae; præsidia deducta  
 atque imposita? ex lubidine leges imperantur:  
 cum interim vos legatos & decreta paratis. Et  
 quanto, mehercule, avidius pacem petieritis,  
 tanto bellum acrius erit; cum intelliget se metu  
 magis, quam æquo & bono sustentatum. Nam,  
 qui turbas, & cædēm civium odisse ait, & ob id  
 armato Lepido vos inertes retinet; quæ victis  
 toleranda sunt, ea, cum facere possitis, patia-  
 mini potius censem. Ita illi à vobis pacem, vobis  
 ab illo bellum suadent. Hæc si placent; si tanquam  
 torpedo animos oppressit, ut oblixi scelerum Cin-  
 næ, cuius in urbem redditu, decus, atque ordines  
 omnes interierunt, nihilominus vos, atque con-  
 juges, & liberos Lepido permitti sitis; quid  
 opus decretis; quid auxilio Catuli? quin is &  
 alii boni Rempubl. frustra curant. Agite, uti lu-  
 bet; (a) parate vobis Cethagi, atque alia pro-  
 ditorum patrocinia, qui rapinas & incendia infi-  
 taure cupiunt, & rursus aduersum Deos pena-  
 tes manus armare. Sin libertas & bella magis  
 placent: decernite digna nomine, & (b) aug-  
 te ingenium viris fortibus. Adeo novus exercitus  
 & ad hoc, coloniae veterum militum, nobilitas  
 omnis, duces optimi; fortuna meliores sequitur.  
 Jam illa, quæ collecta sunt societatem nostra, di-  
 labentur. Quare ita censeo, quoniam Lepidus  
 exercitum privato consilio paratum cum pessimis,  
 & hostibus Reipublicæ contra hujus ordinis auc-

(a) Hic vulgo legitur | do edidit YVasse.  
 parata. Non dubitavi re- | (b) Augete animos,  
 ponere parate, quomodo |

toritatem ad urbem ducit; ut Appius Claudius interrex cum Q. Catulo proconsule, & ceteris quibus imperium est, urbi praesidio sint; operamque dent ne quid Respublica detrimenti capiat;

## ORATIO

## C. Cottæ Consulis ad populum.

15. De hujus orationis occasione nihil est certi quod afferri posse videatur, nisi quod ex oratione ipsa colligitur: tumultuatam esse plebem, ita ut ne Consulum quidem ipsorum majestas satis tuta foret. Forsan annona inopia hos furores stimulaverat: quod videntur innuere haec verba: classe qua commeatus vehebatur, minore quam antea navigamus.

**Q** UIRITES, multa mihi pericula domi, militiae multa adversa fuere: quorum alia toleravi, partim repuli Deorum auxiliis, & virtute mea: in queis omnibus neque animus negotio defuit, neque decretis labor. Malæ secundæque res, opes, non ingenium, mihi mutabant: at contra in his miserius cuncta me cum fortuna deseruere. Præterea senectus per se gravis, curam duplicat; cui misero, senecta jam ætate, ne mortem quidem honestam sperare licet. Nam, si parricida vestri sum, & (a) bis genitus hic, Deos penates meos, patriamque, & summum imperium vilia habeo: quis mihi vivo cruciatus

(a) Quia ab exilio re- Quirites, rursus mihi pos-  
vocatus. Infrà: vos, viam, . . . dedistis.

Satis est , aut quæ poena mortuo ? cùm omnia me-  
morata apud inferos supplicia scelere meo vici.  
A prima adolescentia in ore vestro privatus , &  
in magistratibus egi. Qui lingua , qui consilio  
meo , qui pecunia voluere , usi sunt : neque  
ego callidam facundiam , neque ingenium , ad  
malè faciendum exercui : avidissimus privatæ  
gratiæ , maximas inimicitias pro Republ. sulce-  
pi : qui victus cùm illa simul , cùm egens  
alienæ opis , plura mala expectarem ; vos  
Quirites , rursus mihi patriam , Deos penates ,  
cùm ingenti dignitate dedistis. Pro quibus bene-  
ficiis , vix satis gratus videar , si singulis animam  
quam nequeo , concederim. NAM vita & mors  
jura naturæ sunt : ut sine dedecore cum civibus ,  
famâ & fortunis integer agas , id dono datur  
atque accipitur. Consules non fecisis , Quirites ,  
domi bellique impeditissimâ Republ. Namque Im-  
peratores Hispaniæ stipendium , milites , arma ,  
frumentum poscunt : & id res cogit , quoniam post  
defectionem sociorum , & Sertorii per montes fu-  
gam , neque manu certare possunt , neque uti-  
lia parare. Exercitus in Asia Ciliciaque ob nimias  
opes Mithridatis aluntur : Macedonia plena hos-  
tium est , nec minus Italæ maritima & provin-  
ciatum : cùm interim vesticalia parva & bellis  
incerta , vix partem sumtuum sustinent. ( a ) Ita  
classe , quâ commeatus vchebatur , minore quam  
antea navigamus. Hæc si dolo aut socordia nostrâ  
contracta sunt , agite , &c , uti lubet , ita sup-  
plicium sumite : sin communis fortuna asperior  
est , quare indigna vobis nobisque & Republ.  
incipitis ? Atque ego , cujus ætati mors propior

( a ) Classem ad subve- | antea habemus : hinc  
hendos Romam com- | frumenti inopia .  
meatus , minorem quam .

**ORAT. EX SALLUST. HIST.**  
est , non deprecor , si quid eā vobis incommodū  
demitur : neque mox ingenuo corpori honestiūs ,  
quām pro vestra salute finem vitæ fecerit. Ad-  
sum , en C. Cotta Consul , facio quod lāpe majo-  
res asperis bellis fecere : voveo , dedoque me pro  
Republ. quam deindē cui mandetis , circumspi-  
cite. Nam talem honorem bonus nemo volet ,  
quum fortunæ , & pacis , & belli ab aliis acti  
ratio reddenda , aut turpiter moriendum sit. Tan-  
tummodo in animis habetote , non me ob scelus ,  
aut avaritiam cæsum , sed volentem pro maximis  
beneficiis animam dono dedisse. Per vos igitur ,  
Quirites , & gloriā majorum , tolerate adversa ,  
& consulite Reipubl. Multa cura summo imperio  
inest , multi ingentes labores : quos nequicquam  
abnuitis , & pacis opulentiam quæratis , cùm om-  
nes provinciæ , regna , maria , terræque , aspera  
aut fessa bellis sint.

**F I N I S.**